

teneant. Statuimus etiam nostra auctoritate, ut episcopus eiusdem Tergestine civitatis et clerus et populus per totum episcopatum servitium nobis debitum Aquilegensi patriarche impendant. Et quando episcopus eiusdem loci nature debitum persolverit, iamdictus patriarcha nostro iure, nostro more, nostra lege alium in loco eius eligendo pastoralis virga et episcopali anulo investiat, investiendo intronizet, intronizatum more solito ordinet. In hac ergo largicione nostra precipimus et precipiendo sancimus, ut nullus episcopus, dux, marchio, comes nullaque regni nostri magna vel modica persona iam dictam Aquilegensem ecclesiam aut patriarcham in ea⁷⁾ pro tempore presidentem de prenominationis et concessis rebus disvestire, molestare, inquietare aut ullam⁸⁾ iniuriam inferre presumat. Si quis autem temerarius, quod non opinamur, istius nostre preceptionis seu donacionis auctoritatem infringere aut ullo modo violare presumerit, sciat se nostre maiestatis indignacionem incurere et se conpositurum libras mille auri probati, medietatem nostre camere, medietatem vero Aquileiensi pontifici. Ut autem istius nostre largicionis seu tradicionis auctoritas stabilis et inconvulsa in aevum permaneat, hanc paginam ad id testandum scriptam et manu propria ut infra cerni potest corroboratam, nostro ymaginis sigillo insigniri iussimus.

Signum domini Henrici quarti regis invictissimi.

Bruochardus episcopus et cancellarius recognovit.

Anno dominice incarnationis MLXXXI, indictione III, XIII kalendas Augusti datum, anno autem domini Henrici XXVII, regni vero XXV. Luce in Christi nomine feliciter amen.

Aus einem Copialbuch von 1482 (Consultori in iure 366^{bis} Nr. 24) im Staatsarchive zu Venedig. 1) Cod. Terdoldi. 2) Cod. Ipponensis. 3) Cod. Regnoldi. 4) Cod. Buverardi, vgl. St. 2838. 5) Cod. Ceranardi, vgl. St. 2838. 6) Cod. Tergentinum. 7) Cod. eam. 8) Cod. nullam. — St. 2839, ungedruckt.

8.

Heinrich IV. schenkt dem Erwählten Otto von Asti die Hälfte des castrum Lavegia nebst Zubehör. Ohne Daten. (1090—93.)

C. In nomine sancte et individue trinitatis. Heinricus¹⁾ divina gracia Romanorum imperator augustus. Ut cum psalmista in leticie spiritu et exultacionis dicere possimus: domine decorem domus tue dileximus ad decorandum eam et sublimandum, ad honorem eius, cui nihil preponendum est, incessanter insudare debemus. Evidenter enim cognovimus et indubitanter scimus, si sanctam Dei ecclesiam, que est in Christo mater omnium christianorum, decorare studuerimus atque sublimare, longevi erimus super terram, sicut scriptum est: honora